

Subgen. III. *DAUCOCREPIS*. C. H. Schultz Bip. in Mertens, Koch et Bischoff, Deutschlands Flora, 6^r Bind, MS.

Radix fusiformis, vix fibrosa, perennis sed non longæva, eodem modo se habens uti radix sect. III *Apargiæ* Schultz Bip. generis *Leontodontis*. Cf. Koch, Syn., ed. 2, p. 482. Involucrum pl. 2-seriale, subimbricatum.

Subdiv. II. Species caule foliato.

Huc spectant plures species alpigenæ, e. g. *Crepis grandiflora* Willd., *Cr. alpestris* et *montana* Tausch, nec non plures Europam australem habitantes e. g. *Crepis rigida* W. K., *Cr. lacera* Tenore, *Cr. chondrilloides* Jacq., et insuper plures maderenses. Species nostra ab omnibus foliorum formâ, notisque aliis distinctissima.

4. *CREPIS LOWEI* β *CANARIENSIS*. C. H. SCHULTZ BIPONT.

C. radice fusiformi, perenni; caule foliato, divaricato-ramosissimo, glabrescente cum foliis dentatis, radicalibus rosulatis, obovato-lanceolatis, caulinis triangulari-cordatis; pedicellis subnudis, superne cum involucro biseriali pubescenti-hirtis; achæniis conformibus breve rostratis, superne exasperatis, pappo niveo subcaduco.

Barkhausia hieracioides. *Lowe!* (in litt. ad cl. Webb), *Primit. fl. Mader.*, p. 27, n. 44. — *DC.*, *Pr.*, vol. 7, p. 157.

Crepis hieracioides. *F. G. Schultz* (non *W. K.*) in *Flora B. Z.*, 1840, p. 718.

HAB. Legimus hanc speciem semel in fissuris rupium montis excelsi Lancerottæ « *Penitas de Chache* » dicti (in Maderâ non vidi) : *Webb!*; *Canariâ* : *Bourgeau!* n. 6; *Fuertaventura*, sine loci specialis designatione n. 2, *Barranco de Tuinese*, 2^o m. Martii 1846, n. 11, in rupibus prope *Valdebron* septentrionem versus, 10^o m. Febr. 1846 : *Bourgeau!*

DISTRIB. GEOGR. Ex cl. *Lowe* planta nostra etiam in Maderâ crescit. Attamen rev. *Lowe* diagnosis non bene quadrat, cum e. g. plantæ canariensis costa folii semper sit glaberima, non vero setoso-hispida. Nunc dubius adhuc hæreo, an planta canariensis penitus eadem sit ac maderensis, imprimis cum *Crepidis* species difficillimæ et an *Synantherologis* optimis non raro, obiter vel in statu manco examinatæ, confundentur. Si *Crepis Lowei* β *canariensis* ab α *maderensi* specificè differt, nostra *C. canariensis* vocanda.

DESCR. Sec. specimina optima.

HERBA distinctissima, succo lacteo scatens, viridi-glaucescens, divaricato-ramosissima, foliis caulinis triangularibus, basi valde dilatatis. *RADIX* perennis, non longæva, verticalis, 2-4 poll. et ultrâ longa, superne 2-4 lin. diametro metiens, fusiformis, simplex, vel inferne ramum edens, extus brunnea,

intus alba, amarissima. CAULIS erectus, pl. spithameus v. dodrantalis et paulo altior v. humilior, inferne pl. 2 lin. diametro metiens, teres, glaber, sulcato-striatus, medullâ albâ farctus, dilutè virens, infernè sæpiùs violaceo-purpurascens, foliatus, mox supra basin ramosus et ad ramorum exortum hinc inde flexus. FOLIA infima rosulata, 3-5 imo 7 poll. longa, supernè 1-1 1/2 imo 3 1/2 poll. lata, obovato-lanceolata, infernè attenuata in petiolum alatum 1 1/2-3 imo 6 lin. latum, basi ipsa adhuc paulisper dilatatum; cæterum folia costâ latâ percurta sunt penninervia, plana vel paulo undulata, superficialiter dentata, vel runcinato-sinuato-dentata, dentibus triangulari-lanceolatis, more foliorum Taraxaci officinalis sæpiùs reflexis, acutis, apice corpusculo rotundato subcorneo munitis, uti folii apex obtusus. Si caulis non immediatè supra basin in ramos abit, folia nonnulla observantur caulina conferta 3-6 lin. distantia, modo descriptis similia sed supernè non tantoperè dilatata, infernè verò latiora et basi paulo auriculata. Quo magis folia enim a basi distant eo angustiora evadunt supernè et latiora infernè. RAMI pl. mox supra basin in axi folii orientes, inferiores pl. spithamam rariùs tantum palmam longi, divaricati, inferne foliati, superiores breviores tantum ad ramulorum exortum folio muniti, corymbo *simplici*, pl. 3-cephalo; vel si pedicellus inferior adhuc, quod sæpe observatur, rarum edit, 4-cephalo, vel *composito* terminati. FOLIA ad ramorum exortum vel partem inferiorem posita superne decrescunt, 3-1 pl. 1 1/2 poll. longa, infernè 2/3-1 1/2 poll. lata, triangulari-lanceolata, margine denticulis crebris, subulatis notata, basin versus valde dilatata, utrinque in auriculam subhemisphæricam expansa et hinc cordata, superne vero attenuata, magis integra et apice acuta. PEDICELLI in axi foliorum adhuc minorum tandem ferè in squamas abeuntium, pl. 8-10 lin. longorum, lanceolato-linearium, subintegrorum, basi utrinque paulo protractorum imo superiorum subsessilium, acutorum vel acuminatorum oriuntur sunt adscendentes, cum capitulis 1-ferè 3, pl. 1 1/2 poll. longi, pl. esquamosi, rariùs squamulâ 1 1/2-2 lin. longâ, lineari, unâ alterâve transitum foliolorum rameorum superiorum in involucri squamas perficiente instructi, virginei pube alba, subevanescente adpersi et sæpius, præcipuè supernè pilis nonnullis, nigricantibus, simplicibus vel pl. glanduliferis. CAPITULA semper erecta, ante anthesin subhemisphærica, multi- (105 flores in capitulo numeravi) flora. INVOLUCRUM subimbricatum, squamis omnibus adpressis, vel inferiorum paucis laxiusculis, hemisphærico-campanulatum, fere 5 lin. altum, nigro-virens, pube alba, demum subevanescente + — albens, et insuper pilis simplicibus, nigricantibus, præcipue carinâ squamarum inferiorum et apicem versus squamarum internarum obsitum; squamæ externæ n. 8, anguste lineares, 1 1/2-2 1/2 lin. longæ, inæquales, pl. internis duplo breviores; squamæ internæ n. 13, subæquilongæ, lineares, achæniorum maturitate inferne carinato-naviculares, facie internâ pilis brevissimis, albensibus, adpressis (more Crepidis biennis Linn.) munitæ, margine, præcipue intimæ paulo scariosæ, apice pubis longioris penicillo munitæ. RECEPTACULUM 2 lin. diametro metiens, nudum, areolatum i. e. quodvis achænium margine vix elevato, 5-6 angulari, hinc inde in fimbrillas minutissimas expanso circumdatum est. FLORES obscurè aurei, involucrium tertiâ parte superantes, externi 4-5 lin. circiter longi; tubus ultra 1 lin. longus, albens, supernè pilis paucis minutissimis munitus; ligula 3-3 1/2 lin. longa, 3/4 lin. lata, dentibus 5 terminata parvis, triangularibus, apice glandulosis; antheræ 5/4-1 1/2 lin. longæ, exsertæ, pallidæ. STYLI rami filiformes, hirti, arcuate reflexi, ligulâ breviores. ACHÆNIA conformia, 5/4-1 1/2 lin. longa, teretia, alutaceo-brunnea, 10-striato-costata, lævia, superne sensim in rostrum breve, achæni

corporis tertiam partem circiter æquans, attenuata et aculeis parvis, arrectis exasperata, apice vero in annulum pallidum, glabrum expansa, cui insidet pappus subpersistens, niveus, 2 lin. et ultra longus, radiis compositus subæqualibus copiosis, subbiseriatis, gracilibus, subdenticulatis.

EXPLICATIO TAB. 123.

1. Planta integra, sine radice, magnitudine naturali. 2. Flos auctus. 3. Achænium auctum sine pappo. Rostrum, invitâ naturâ, hic glabrum et nimis abrupte ex achæniî oritur corpore.

SUBTR. VII. *PICRIDEÆ*. C. H. Schultz Bipont., Scelet. syst. artic. Cichoriac., p. 6.

Receptaculum epaleatum. Pappi plumosi, persistentis v. caduci radii ad basin vix dilatati, plumulæ liberæ.

Herbæ caule pl. ramoso, fragili, pilis glochidiatis v. simplicibus munitæ, palæogææ.

Div. I. *EUPICRIDEÆ*. SCHULTZ BIP. MS.

Achæniî cavum continuum. Receptaculum favoso-reticulatum. = Picrideæ Schultz Bip. in Flora Bot. Zeit., 1834, 2, p. 478.

Subdiv. I. *Picrideæ veræ*. Schultz Bip., l. c.

Pappus caducus, radiis subarcuatim extus flexis, basi in annulum concretis.

PICRIS. LINN. — Schultz Bip. Emend., l. c.


CAPITULUM multiflorum. INVOLUCRUM subimbricatum, squamis inferioribus pl. squarrosis. RECEPTACULUM nudum. ACHÆNIA conformia, erostris v. breve rostrata, articulate cum receptaculo juncta, pappo plumoso coronata.

HERBÆ biennes vel perennes, palæogææ, subramosæ, corymbosocymosæ, capitulis semper erectis, floribus flavis.

1. PICRIS HIERACIOIDES. LINN.

— C. H. Schultz Bip., Analysis Cichoriac. palat., pag. 6.

P. biennis, pilis plerisque glochidiatis hispida; involucri foliolis margine glabris; caule foliato, ramoso, subcorymbosocymoso; foliis lineari-lanceolato-oblongis, dentato-pinna-



Bonola Gay del.

Lith. J. Lige & Richter 7.

Vielle lapine

Crepis Lourei B. canariensis C. DC. Sch. Bip.